

www.e-rara.ch

Summa iuris canonici comprehensa tribus partibus

Strein, Johann

Coloniae Agrippinae, 1658

Zentralbibliothek Zürich

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-31071>

Titulus XVI. De religiosis domibus.

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelnformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

TITULUS XVI.

De Religiosis Domibus.

Religiosas domos appellamus Monasteria, & hospitalia, quæ pietati & misericordiæ exercendæ ex professo dedicatæ sunt, & plerumq; Ecclesiis seu templis adhærent. *c. quidã cū seq. de rel. dõ. c. Mona. 18. q. 2. c. qui verè ead. c. omn. Basi. 16. q. 7.* Eodem pertinet orphanotrophia, brephotrophia, nosocomia, gerontocomia, leproforia, & si quæ his similia loca reperiuntur Episcopi præsertim auctoritate constituta, de quibus annotare pauca consultum judicamus.

§. I.

De erectione, & administratione domorum religiosarum.

Religiosa olim loca, ut in proœmio monui, dicebantur, quæ privata alicujus auctoritate, aut facto dedicata erant religioni, ut si quis in domum suam mortuû intulisset. Sic enim *l. 2. Inst. tr. 1. legimus.* Religiosum locum unusquisque sua voluntate facit, dum mortuum infert in locum suum. In communẽ autem locũ purum invito socio inferre non licet. Unde colligimus religiosum oppoñi puro. Hodie verò ut locus aliquis religiosus existimetur, Episcopi auctoritate opus est, qui vel consecratione, vel benedictione, & certis precibus ad id utitur. Quocirca Christianis idem locus, qui religiosus, etiam sacer est. *c. abolenda de sepult. Azor 111. l. 1. c. 26.*

II. Cùm unusquisque rei suæ, id est, bonorum & facultatũ Dominus, sit, nec ulla lege certum ad usum determinetur, arbitrio suo potest domum habitacionis suæ, in Ecclesiam, vel misericordiæ templum convertere: idque vel cum auctoritate & approbatione Episcopi, vel absque illa. Unde duo hospitalium genera existunt, sacrum, & profanum, hoc propria, illud Episcopi auctoritate constitutum. De quo ubi exortum dubium fuerit, ad circumstantias, adjuncta, & conjecturas recurrendum est. Nam si per Laicos absq; Episcopo gubernetur, nec habeat cœmeterium sepeliendis mortuis dedicatũ, nec campanile, signum est, locũ profanum esse: item, si ex bonis ac proventibus illius collectæ Laicis solvantur. Similiter Oratorium, si per Laicos regisoleat, & campanali careat, non est sacer locus. At si hospitalis domus campanile habeat, vel in superiore tecti parte campanam, ut ad divina officia convocentur homines, pro religioso, & sacro loco haberi debet. Item si à Clericis gubernetur, vel Laicis quidem, sed ab Episcopo designatis si tamen aliquid horum desit, non continuò sequitur, locum non esse religiosum, sed omnia ponderanda sunt, ut dubio sublato veritas innotescat. *Gloss. in c. unicuique de consecr. Dist. 1. sily. V. Hospitalale num. 3. Barbof. in c. quia contingit de Relig. domib. num. 17. Zerola Dub. 2.*

III. Ejusmodi domus, loca religiosa, & hospitalia gaudent omnibus piæ causæ privilegiis *c. requisisti de testam. Innoc. in c. 2. de in integr. restitut. Lopus de Castillione num. 13. silvest. & alii communiter.* Nam quoad juris effectus Ecclesia, & pia loca æquiparantur. *Barb. in c. Ecclesia de restit. in integr. in 6. inò idem Barbosa notat in c. 4. de relig. domib.* licet hospitale non sit erectum, & approbatum auctoritate Episcopi, locus religiosus, & sacer non sit, adhuc videri locum pium esse de jurisdictione Ecclesiastica, & gaudere privilegiis Ecclesiæ, cum causa pietatis institutus sit. Quo posito consequitur, ea quæ legantur, & relinquuntur pro piis causis solvi posse hospitalibus, & confratribus, quamvis privata auctoritate constructa & fundata sint. *Vallenstamen l. 3. tit. 36. §. 1. num. 4.* stricti Juris esse exemptionem prædictam existimat, adeoque non extendendam, sed restringendam.

IV. Hospitalia non possunt dari in titulum beneficii Clericis sæcularibus, rejecta omni consuetudine contraria. Ita sancitum est in *Con. Vienn. relato in Clem. de rel. dom. Quia contingit versu. Ut autem, ubi additur limitatio. Nisi in illorum fundatione aliter constitutum sit seu per electionem de rectore illi sit providendum.* Gubernatio autem viris prudentibus, & idoneis, ac boni testimonii committenda, qui sciant, velint, & possint loca ipsa utiliter regere, & fructus in personarum miserabilium utilitatem fideliter dispensare. Hinc sequitur in literis ad beneficia impetratis non includi hospitale, nisi fortè accessorium sit respectu Ecclesiæ annexæ, quæ in titulum confertur. Tunc enim juxta regulam communem accesso-

rium sequitur suum principale, contineri censetur. *DIXI. Nisi in fundatione aliter constitutum sit.* Sunt enim publica hospitalia quædam, quæ in titulum dantur hospitaliaris de quibus *Tholo. l. 15. c. 28. Roder. To. 11. q. 85. art. 1. Franc. Leo in Thesaur. Eccles. part. 2. c. 18. n. 83. & 85.*

V. Hinc verò dubium nascitur, an per Legatum Apostolicum alicui religioso committi hospitale possit? Affirmat *Azor To. 11. l. 5. c. 29. q. 27* At jure communi non posse docet *Rodericus l. cit. art. 3.* quia obstat § *ut autem.* supra citatus. quo hospitalia in beneficium concedi prohibentur. Limita tamen *primò,* si consuetudo est, ut per regulares administraretur, cujusmodi multa hospitalia sunt de mensa Prælatorum, quæ ut ab ipsis, ita à Legato à latere committi alicui religioso poterunt. *Secundò,* cum necessitas hospitalis, & pauperum id suadet. Nam in tali eventu etiã Episcopus avocare à clauetro Monchum potest. *Tertio,* si hospitale Ecclesiæ curatæ annexum est, ita, ut Rector unius sit Rector alterius. *Quartò,* si in hospitalitate & propter hospitalitatem religio fundata est, cujus generis non pauca reperiuntur in Germania nostra hospitalarii S. Joannis Jerosolymitani, & Theutonicorum S. Mariæ quorum originem & institutum describit. *Polydor. Virgil. de inven. rer. l. 7. c. 5. Azor Tom. 1. l. 13. c. 6. lac. de Graff. part. 2. l. 2. c. 20. n. 13.*

VI. Cura, inspectio, & reformatio domorum hospitalium ad illos pertinet, quos vel statutum in fundatione, vel consuetudo, vel privilegium admittit: his verò deficientibus ad ordinarium de jure. *c. de xenodochiis. de religios. domib. Con. Trid. Sess. 25. c. 8. de reform.* Neque mirum videri

videri debet, episcopum excludi ab exigenda ratione administrationis per voluntatem fundatoris in prima erectione additam. Id enim Ecclesia permittit piis benefactoribus, ut plurimum ad eandem misericordiam affectus exciteretur, & foveatur. Nihilominus episcopo visitare hospitalia licet, quia. *Conc. Trid. Sess. 22. c. 8.* quoad visitationem non excipit, nisi ea loca, quæ sub regum immediata protectione sunt. *Et c. 9.* præcipit ab administratoribus rationem exigendam esse. *Barb. in Summa Collat. 13. Az. 11. l. 3. c. 40. q. 12.* In visitatione autem videndum est, an pauperes, infirmi, & indigentes, iuxta foundationis modum & ordinem alantur; fructus, & redditus fideliter dispensentur; quæ & quanta sint accepta & expensa. Quod si consuetudo est, ut administratores non nisi deputatis ex collegio ipsorum rationem reddant, adhuc tamen episcopus unâ cum eiusmodi deputatis interesse poterit. *Con. Tr. l. cit. Piafec. Par. 1. c. 2. nu. 38. Abb. in c. Sopita. de Cens. nu. 5. Iac. de Graff. Par. 2. l. 3. c. 28. n. 44. & 49.*

VII. Facultas episcopis concessa visitandi hospitalia, aliave pia loca, non excludit Iudices sæculares, quod minùs eadē visitare queant, si hoc illis alias legitime competit. Ita Congregatio Cardinal. declaravit in c. 8. Sess. 22. *Conc. Trident.* Imò generaliter tradit. *Covarr. Zerola. & alii quidam,* licet episcopi piarum voluntatum executores absolutè constituti sint, nihilominus ad sæcularem quoque iudicem pertinere, mixtiq̄ue fori esse, ita, ut utrimq̄ue iudicem pro libitu adire liceat, & postulare, ut exequi pia legata faciat. Quod tamen non videtur procedere in eo, qui animam suam nullo executore no-

minato hæredem instituerit. Tunc enim ad solum episcopum loci executio spectare videtur, ut qui solus à testatore melioris fidei præsumptione præoptatus sit. *V. Tholosan. l. 42. c. 36. n. 7. & sequentibus, Laym. l. 3. Tr. 6. c. 11. n. 1. Emm. Sa in V. Xenodochium. Vallens. l. 3. tit. 6. §. 2.*

VIII. Si hospitalia ad certum peregrinorum, infirmorum, aut aliorum indigentium genus fuerint instituta, nec in loco, ubi dicta domicilia existunt, eius generis personæ, vel admodum pauca reperiantur, fructus, & proventus illorum in alium pietatis usum, qui illorum institutioni conformior sit, ac pro loci, & temporis occasione utilior, converti possunt, prout Ordinario loci cum duobus de Capitulo expedire visum fuerit. Ita *Conc. Trid. Sess. 25. c. 8. de reform.* ubi Cardinalium Congregatio declarat Concilij mentem fuisse, providere, ne qui hospitalia possident, fructus omnes in proprium usum convertant, sub prætextu, quod non reperiantur infirmi secundum primam institutionem hospitalis; adeoque non eijciendos esse, quamvis diverso morbo laborantes, qui alioqui pauperes, aut aliter miserabiles personæ sunt. *V. Con. Trid. loc. cit. & Rodericum To. 11. q. 85. art. 2.*

IX. Eodem loco Concil. Tridentinè disponitur, ut hospitalium administratio uni, & eidem personæ ultra triennium deinceps non committatur, nisi aliter in foundatione constitutum sit, de quo *V. Nicol. Garziam de benef. Par. 1. c. 3. n. 7.*

Quibus autem personis committi possint ac debeant, *Silvester n. 6.* inquit, & reicit. 1. religiosus, nisi domus hospitalis illorum, Ordinis esset. 2. feminas, ubi solii viri inhabitant; nisi forte sine cura foret.

Nam si monasterii gubernatio, ut in S. Brigittæ Ordine fit, committi mulieribus potest, multò magis nosocomiorum. Ita Abb. citatus à Silvestro, qui addit, si annexum monasterio hospitale sit utrumque feminæ subiici posse. 3. conversos, qui literati & clerici sunt, quia tenentur ad officium divinum, ut alii monachi, quos non convenit curam Xenodochij temporalem habere. At de spiritali cura, quæ in prædicatione Verbi divini, & Sacramentorum administratione consistit, dubium non est, quin regularibus bene committantur. Aliàs hæc cura de communi iure pertinet ad ecclesiam matricem, intra cuius limites existit, quamvis præscribere possit, ut proprium Sacerdotem ac curatorem habeant. *V. Moscon. l. 1. de Societatib. Par. 4. c. 6. Em Sa. V. Xenodochium.*

§. II.

De privilegiis Domorum Religiosarum.

DE immunitatis privilegio, quæ locali, quæ reali, quod religiosæ domus, monasteria, & hospitalia participiant, diximus in *tt. 14 §. 1. & 2.* sed quia latius patet exemptionis beneficium, & particulatim quædam hospitalibus, & Xenodochiis conveniunt, expedire videtur, non omitti.

Primum igitur privilegium consistit in exemptione à magistratu & iurisdictione seculari. *c. Ecclesia. de restit. in integr. in 6. c. ad hac. de relig. dom. Clem. Quia contingit. eod. & c. Cum sit generale. de fo. comp. ubi lædentes domum religiosam sacrilegi vocantur: quod non applicandum illis,*

qui res, & bona personarum ecclesiasticarum iniuria afficiunt, quamvis ea bona iurisdictioni ecclesiasticæ subsint. *c. Si clericus. de fo. comp. Conc. Trident. Sess. 22. c. 8. Sess. 25. eod.*

Secundum. Domus hospitalis privati hominis arbitrio, & liberalitate, absque approbatione, & auctoritate episcopi extructa, non subest illius directioni, aut dispositioni, quoad temporalia, sed illius, quem auctorem habet, cuius potestati relinquitur, per se, vel per alios illam administrare: mortuo tamen illo episcopus curabit, ut pia voluntas defuncti executioni mandetur. *Silv. nu. 2. Vallens. l. 3. tt. 36. §. 2. n. 3. Graff. Par. 2. l. 2. c. 28. n. 49.* In dubio, an Episcopi auctoritate extructa domus sit, affirmativa sententia prævalere debet. *Fedor. & Lopus à Silv. citati q. 2.*

Tertium. Præscribere potest omnia pia legata, illius loci civitatis, vel oppidi, in quo situm est, ita ut ab eis alii omnes excludantur: nec si Joanni Andreæ credimus statutum valet, ut eiusmodi legata alteri hospitali vel pio loco cedant. Colligitur ex *c. Quia contingit h. e. in Clement.* ubi indicatur præscribere posse pauperum sepulturam, & habere presbyterum, qui Sacramenta ministret. Similiter decimas præscribere potest, secundum Lapum, ex quo est locus religiosus, episcopi auctoritate fundatus. *Silv. num. 19.* Nec imperantur illi extraordinariæ in casu necessitatis. *Tholos. l. 2. Syntag. c. 20. num. 12.*

Quartum. Peculiare illud est, quod hospitale præ aliis domibus religiosis in Commendam dari non possit, nisi ad quatuor menses, idque ab ipso Pontifice, & cum clausula. *Ut omnes fructus in usum pauperum*

pauperum convertantur. Sic Cardinali de Pisis postulanti, ut hospitale Placentinum sibi ad sex menses tantum commendaretur, Congregatio Cardin. censuit dandum & custodiendum per quatuor menses per Breve cum onere tamen, ut postea de viro idoneo provideretur, & interim nullos ipse fructus perciperet, sed in usus pauperum converteret. *Con. Tr. S. 25. c. 8. Declar. n. 1.*

Quintum. Quamvis episcopo liceat hospitalia, & Xenodochia visitare, quemadmodum §. *preced. num. 6.* diximus, nullam tamen illi eam ob rem debent procuracionem, seu praestationem sumptuum necessariorum in ipsa visitatione, fortè quia magis est charitati & statui conveniens, ut pauperum habitationi per eleemosynam subveniat, quam eorum annona vivat. *Navar. Consil. 3. de relig. dom. l. 3. Sivo. n. 16. Lorichius §. 7.*

Sextum. Administratio & gubernatio hospitalium & similium locorum jure communi ab Episcopo gubernantur: qui tamen uni & eidem personæ ultra triennium committere non potest, iuxta decretum *Conc. Trid. Sess. 22. de quo V. Nicol. Garciam de benef. par. 1. c. 3. AZ. 11. l. 3. c. 3. q. 3. Vallens. l. 3. tit. 36. §. 2. n. 5. & seq. V. §. 1. n. 6.* Dixi jure communi ad episcopum spectare curam, ac gubernacionem, ut intelligas consuetudine, pacto, vel statuto aliter fieri posse, quemadmodum bene notat. *Lapus in Tract. de hospital. n. 15.*

Septimum. Hospitalia non comprehenduntur sub regulis reservatoriis. *Clem. Per literas. De præbend. Feder. de Senis consil. 280. Cardin. in c. 2. De præbend. Semonet in Tract. de reservat. c. 7.* Hospitalia enim sunt specialiter privile-

giata, adeò, ut impositio decimarum à Papa ad illa non extendatur. *Glo. 1. in Clem. 2. De decimis.* Item privilegium, vel statutum de percipiendis fructibus primi anni ecclesiarum vacantium non comprehendit fructus hospitalium. *Anchar. in repet. cap. si propter. de reser. in 6. Felinus in c. de quarta nu. 18. de præscript. V. Franc. Leo. in thesauro Par. 2. c. 18. n. 81. & seq.*

Ottavum. Bona hospitalium non eadem cum ecclesiasticis lege tenentur, ut alienari non possint, sed prout ratio, & necessitas postulat, pro usu pauperum immobilia commutare licet mobilibus, vel in pecuniam convertere. Ratio diversitatis est, quia bona ecclesiastica ab initio donantur, & acquiruntur ecclesiis pro oneribus episcopalibus ac papalibus, in necessitatem & utilitatem eorum, qui factis muneribus funguntur. Vnde ex alienatione illorum sequitur confusio & perturbatio ordinis ecclesiastici: At quæ hospitalibus relinquuntur, in alimenta pauperum convertenda sunt, & dominiū illorum ab illis, qui præsent, & administrant, minime acquiritur. Nec difficile est videre, multò satius esse frumentum, aut pecuniã habere, quàm multas & amplas domos, ut merito cū hæ legata fuerint, venditione transferantur. Nonnulli etiam teste *Sivo. n. 18.* extorimant valere consuetudinem, ut omnia bona etiam immobilia hospitalibus relicta vendantur, nec requiri solemnitatem in iure præscriptam pro alienatione bonorum ecclesiasticorum. Nam posita pauperum necessitate cui necessariò subveniendum, censentur ea bona servando servari non posse. Episcopi tamen requirere auctoritatem & con-

& consensum expedit: cuius rei exemplū Lopus allegat in Rectore hospitalis S. Mariæ Florentiæ, qui de triennio in triennium petit ab episcopo licentiam vendendi bona omnia sibi obvenientia: quæ licentia tam generalis, & vaga in ecclesiasticis bonis non sufficeret. Videtur etiam excipienda primaria Xenodochii dos, super qua fundatum est, ne in generali concessione vendendi & alienandi comprehendatur. *Petrus de bella peris. Lopus de Castell. Silvest. lo cit.*

Nonum. Hospitalarii, quamvis elemosinarum, & proventuum sacrorum alimento vivant, per se non sunt ad officium divinum, & horas Canonicas obligati, nisi clericatus titulo, vel aliunde sit præceptum aliquod, sed satisfaciunt ea præstando, quæ uniuscuiusque loci statuta, & mores requirunt. *Moscon. de maiest. eccles. l. 1. de Societatib. c. 6.*

Decimum. Quæ domus, & loca piorum hominum voluntate, & episcopi auctoritate semel in usum pauperum, infirmorum, peregrinorum, vel quocunque

modo indigentium dedicata fuerint; ad profanos usus denuò traducere non licet. *c. Nulli licet 12. & c. mancipia de rer. permut. c. Vestimenta de consecr. Dist. 1. & 19. q. 3. c. Quæ semel. & ff. de relig. & sumpt. fun. l. si quis sepulcrum. Azor 11. l. 9. c. 3. q. 11. & l. 3. c. 3. q. 2. Lancelot l. 2. tit. 22. Fill. Tract. 24. c. 9. n. 239.*

Dixi. Domos ab episcopo semel dedicatas in profanum usum converti non posse. Reliquæ enim, quibus ea consecratio deest, quamvis eadem intentione constructæ sint, ut non nisi in pios usus deserviant, neque hoc, neque aliis privilegiis gaudent, & alios ad usus pro rationabili arbitrio applicari possunt, quemadmodum annotavit. *Abbas in c. ad hac. nu. 4. de relig. domib. ex Auth. de eccles. titulis §. si quis adificationem.* Limita, nisi eiusmodi domus, & loca Ecclesiæ donata & incorporata sint. Tunc enim iuxta communem de bonorum ecclesiasticorum alienatione normam de illis iudicandum. *V. Tholos. l. 25. Synt. c. 8. & qua Tit. ult. dicturi sumus.*

TITULUS XVII.

De alienatione rerum ecclesiasticarum.

Quod non nemo dixit, Non minor est Virtus, quam quætere, parta tueri, hoc non modica bonorum suorum iactura, & damno Ecclesiæ experta est, quando præpositi & administratores sua magis, quam quæ Iesu Christi sunt, quærentes, ea, quæ piorum hominum liberalitas contulit, vel profusis donationi-

bus, vel noxiis contractibus alienarunt. Quæ res cum Imperatorum, tum præcipuè summorum Pontificum curam acuit, ut omnem bonorum ecclesiasticorum alienationem, nisi præscripta solemnitate factam severis legibus condemnarent, ut ex dicendis patebit. *Mol. D. 464. Sit igitur.*

§. I. *Alien-*